



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem Varia Ervditione Noviter evoluta

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

1. Pallas cur Iovis cerebro nata?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Ethica.

Quo commento I. (a) illud significare voluerunt, bonarum artium disciplinas humani ingenii non esse inventum, sed ex Jovis Cerebro, hoc est, ex inexhausto divinæ Sapientiæ fonte in humanum usum esse depromptas. Quòd verò armata prodeat, & jam adulta Minerva, indicatur, Sapientis animum contra fortunam paratum & armatum, interritum se præstare periculis, infractum malis, adversis calamitatibus inexpugnabilem. Significatur quoque viri militaris consilium non, nisi maturum & absolutum, in lucem prodire debere: vel viros militiâ excellentes, simul bonis artibus debere esse instructos. Item Sapientiam se ipsâ munitam esse, nec quidquam metuere; non vinci, non subigi.

II. (b) Minervæ etymon quidam ducunt à *minando*, quasi vim minetur; solet enim simulacrum ejus fingi *egide* (hoc est, lorica pectorali) & *hasta* formidabile. Unde & Pallas à Græcis dicitur ἀπὸ τῆς πάλ-
λεος, *vibrare*, propterea quòd hastam tenens, eam veluti vibrare videatur. Eadem & *Tritonia* appellatur, eò quòd *Ogygis* regis temporibus, circa *Tritonidem*, Africæ paludem, virginali facie dicatur apparuisse. Ab Homero peculiari epitheto γλαυκῶπις appellatur, à glauco oculorum colore: unde & *Cæsiam* Latini cognominant. Hæc prima *adificandi* modum invenisse fertur: ejusdem etiam inventum *colus* est: usum quoque *tibiarum*, & artem *Musicam* excogitasse dicitur. Præterea docuit acu pingere, telam texere: omnèque lanificium, *legésque*, ac *classica* adinvenit. Olei quoque usum prima putatur ostendisse, divinósque ob id honores meruisse, dignámque judicatam, quæ Athenarum urbi nomen imponeret, rejectò Neptunò, qui editò recens equò nascenti urbi potentiam bellicam promittebat. Virginitatem perpetuò illibatam servavit; hinc & *innuptam* & *intactam* appellant Poëtæ. Unde colligis, quanta vis sit excellentis animi, quámque in multas ac varias artes illa se extendat, non tantùm addiscendas, sed etiam inveniendas. Minervæ nihil est negotii cum stupidis & cerebro laborantibus. Qui, si quid discendum, quid dicam? inveniendum, scalpunt caput vacuum: mordent ungues, justò per ignaviam longiores: quærunt Palladem in capillis, in quorum silva magis Diana venetur, quàm ut Minerva capiatur.

III. (c) Armata pingitur litterarum dea, & non muliebriter

Yyy 2

compta;

(a) Pallas cur ex Jovis cerebro nata? (b) Minerva habitus & artes,
(c) Minerva cum libro & hasta.